





10

EXAMEN
MIRACVLI LEGIONIS FVLMI-
NATRICIS

CONTRA
THOMAM WOOLSTONVM.

DISSERTATIO II.

QVAM
PRAESIDE
SIGISM. IACOBO BAUMGARTEN

THEOL. D. ET PROFESS. ORDIN.

D. XXIII OCTOBR. MDCCXXX.

H. L. Q. C.

DEFENDET

IOAN. FRIEDER. OPPERMAN

SVANEBECCA HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
SVMTIBVS IO. ANDR. BAVERI, MDCCXXX.

MIRACULI...
SICUTI...

...MAGNIT...

...MAGNIT...

...MAGNIT...

...MAGNIT...



LEGIONIS FULMINATRICIS. XXIII

§. XXII.

Quae ad alteram classem pertinent rationes, haec sunt; rem alterius ordinis argumens enarratam neque clam gestam esse neque a sensibus fuisse remotam, sed innumeros totius exercitus romani homines habuisse testes ocu-^{ta.} latus, quae omnia libidinem quiddam temere fingendi penitus excludunt: deinde tot confirmari testimoniis et scriptorum, qui miraculum hoc in litteras retulerunt; et monumentorum, quibus memoria illius publice consecrata fuit, ut vel difficillimis hominibus ea re fatisfieri assensusque extorqueri posse videatur: ita praeterea comparatos esse hos testes, ut dubitari nequeat potuisse illos vera perhibere, ipsum in illis comparere M. AVRELIVM (§. XV. XVI. XVII. XVIII), ad quem miraculi beneficium proxime pertinuerat, et cuius maximi omnino referebat, ut intemerata eius memoria posteritati transmitteretur; ex reliquis quosdam vel plane coaeuos esse reique gestae aequales, vel proxime saltem ab illa abesse ut APOLLINAREM (§. III), TERTVLLIANVM (§. II), DIONEM (§. X); admodum porro improbable esse noluisse hos testes vera narrare, vero contra simillimum voluisse eosdem rem, ut gesta fuerat, memoriae tradere, et providere ne quid falsi illi admisceretur aut veri detraheretur; monumenta publica hac in re exceptione maiora esse (§. XV. XVIII); TERTVLLIANVM (§. II), DIONEM (§. X), EVSEBIVM (§. III. IIII) gravissimos explorataeque fidei scriptores caruisse rationibus illius rei fingendi quiddam. TERTVLLIANVM imprimis principem eius auctorem, eo tempore, apud eos homines, et in eiusmodi causa huius rei mentionem facere ut praesumi plane possit et debeat a vero certoque ne larum quidem vnguem discedere voluisse: consentire tandem hos testes cetera alienissimos in plerisque et potioribus rei narratae momentis, dissen- sum vero in nonnullis rem ipsam confirmare, tantum abesse ut illam infirmet et dubiam faciat; illorum saltem qui sacris christianis infensi fuerunt narrationes, ubi a christianorum relationibus discedunt, ex partium studio concipi deriuarique facile posse, atque res longe in se improbabiliores proponere, quam quae a christianis scriptoribus perhibentur; multo enim verosimilius esse DEVM O. M.

E

naturae

naturae auctorem dominumque beneficum hoc miraculum precibus suorum indulgisse, quam simulacra et figmenta, aut si manis inania nomina et terriculamenta, IOVIS *pluuii* et MERCVRII, atque ARNVPHIS et IULIANI magicas artes imaginarias forte, illud procurasse: accedere *denique* tot sequioris temporis scriptorum confessionem nemine vno contradicente, quibus primi historiae auctores eam imposituri non fuissent, si fraudis quidquam pelluxisset aut vel leuissimam falsi suspicionem fecisset (b).

§. XXIII.

argumenta
aduersaria.

Licet haec speciosissime sic disputentur, causam tamen apud aequos rerum arbitros non obtinebunt ante, quam aduersariorum exceptiones et difficultates examinatae fuerint, visumque quibus rationibus quoue successu illis eatur obuiam. Qui ex his partibus aduersis publice stare ausi fuerunt numero quidem inferiores sunt miraculi patronis: vtrum rationibus, quibus haec causa agenda est. non auctoritatum multitudine, illis concedant integrum lectoribus iudicium esto. Praeuerunt exemplum curatius inuestigandi historiam IOS. IVST. SCALIGER (c) et HENR. VALESIVS (d) vltra nonnulla tamen illius testimonia impugnanda partesque sollicitandas progressi non sunt; qui illos exceperunt in hoc examine instituendo pugnam acrius instaurarunt omnemque miraculi fidem aperto Marte adorti sunt. Inter quos eminent DAN. LARROQVANVS (e), SAM. BASNAGE (f), IO. CLERTI-VS (g) et recentissimus WALT. MOYLE (proem. c.) Nostrum igitur

- (b) Sic arcem hanc causae communiunt plerique illius defensores, inprimis BARONIVS (§. XV k) WITSIVS (§. XX. x) KINGIVS (proem. c.)
- (c) in *animaduersionibus ad chronologica EVSEII pag. CCXXII &c.*
- (d) in *annotationibus ad EVSEII bist. eccl. lib. V. cap. V.*
- (e) in *diatriba de legione fulminatrice quam patris MATTH. LARROQVANI aduersarior. sac. lib. III adiecit a pag. DLIII ad DCLIII. vbi WITSIVS inprimis conuellit.*
- (f) *annalium politico ecclesiasticorum rom. II. p. CLIII ad CLVIII.*
- (g) *historiae eccles. duorum prim. saec. pag. DCCXXXIII ad DCCLIII.*

igitur iam est non minore fide, qua aduersae partis argumenta exhibuimus (§. XX-XXII), horum etiam rationes recensere vna cum illorum vindiciis, et vtrasque obseruationibus nonnullis illustrare. In duas aequae classes abeunt argumenta, quibus miraculum oppugnatur, inuerso tamen ordine hic collocandas, ut *prior* rationes comprehendat, quae a testium numero indole et dissensione deficiuntur, *posterior* argumentis consistet ex ipsa re narrata petitis.

§. XXIII.

Quae in priore ordine comparent rationes, ad tria haec ^{prior argu-}capita reuocari poterunt; et longe minorem esse numerum testium, ^{mentororum} quam quidem perhiberi plerumque solet; et paucos hos testes, ^{ordo.} qui remanent, vix fidem hac in re mereri, quod tum mirifice dissentiant, tum rem gestam a qua procul satis absterunt incertis auctoribus enarrant documentisque a se non visis confirmant, tum denique credulitatis eximiam suspicionem faciunt; et vehementer denique imminui hanc testimoniorum vim silentio scriptorum celeberrimorum tam coaeuorum quam proxime infectorum, qui tamen rem publice gestam ignorare non potuerunt, quorumque interfuit eam commemorari celebrarique in rem suam. In prima harum rationum examinanda per testium ordines ituri ab antiquis monumentis ordiemur plerisque miraculi fidem facere visis (§. XV. I). Vbi nonnulli certe testes, ipsorummet causae patronorum confessione, intestabiles euadent.

§. XXV.

In imaginibus huius miraculi columna *antoniniana* (§. XV) ^{columna An-} nemini, quod sciam, dubium mouit praeter *LARROQVANVM*, ^{tonini.} inferioribus tamen rationibus usum (h), licet non tam eius auctoritatem

(h) l. c. (§. XXIII. e) pag. DLXXXIII &c. rationes reiiciendi huius monumenti haec sunt; et differre columnae imaginem a DIONIS narratione, quod tamen nec adeo euictum dedit, neque ad argumentum infringendum sufficit; et inscriptionem IOVIS PLV. VII, non fulminatoris, ut poni debuisset pro fulminatricis, absentiam fulminum demonstrare, qualem tamen neque BARONIVS nec

tem recuset, quam fulgura exprimi eadem neget. Sive enim *ro-
VEM pluuium* ut beneficii auctorem in ea repraesentari existimemus,
quod verosimillimum est; sive ventum aliquem, *austrum* inprimis
sic pingi solitum, ea exhiberi coniciamus (i): indubium certe ma-
net spectare illam tabulam ad hanc victoriam diuinitus impetratam.
Illud vero argumentum BARONII (k) et WITSII (l) male sine dubio
plerosque habebit, Deum immortalem hoc monumentum eam ob
causam, quod *superstitione gentilitia obscuratum foeciatumque fuit,
barbarico furore ab imis fundamentis incendi curasse, ipsumque ful-
mine desuper tetigisse, sacrilegium illud iniuste vlturum, qua ex ful-
mine datam victoriam Ioui suo malefana gentilitas attributum inue-
rat.* Altera autem tabula a THEMISTIO commemorata (§. XIII) non
sine probabili ratione eadem ipsa columnae *antoninianae* imago esse
videri potest (m), leuioris enim differentiae, quae inter utramque
intercedunt, hinc deriuantur commode, quod orator imaginem olim
ROMAE visam describit, vbi facilis memoriae, lapsus est; error ve-
ro, quem in eo commisit, quod victoriam non M. AVRELIO sed
ANTONINO PIO tribuit, ex opinione, qua existimauit in columna
ANTONII PII statua insignita, eiusque memoriae consecrata a M.
AVRELIO, non huius sed illius tantum praeclare gesta exhiberi, facile
ortus concipitur (nn).

§. XXVI.

nec alius quisquam, qui monumentum describunt, eidem tri-
buerunt; et THEMISTI tandem imaginem ad hoc publicum mo-
numentum sine dubio efformatam carere fulminibus, quod so-
la illorum mentione ab eodem neglecta effici nequit.

(i) quae PETRI RINGII sententia fuit l. c. (*praem. c.*) p. DCCLXXXVIII
illustrata et refutata simul ad WAL. MOYLIO p. DCCCXI &c.

(k) l. c. (§. XV. k) §. XXVIII.

(l) l. c. (§. XX. x) §. XXVIII.

(m) vt CLERICVS (§. XXIII. q) §. III coniecit nulla tamen adiecta ratione.

(nn) Nisi THEMISTVS ipsum forte M. AVRELIVM designare voluit hoc
cognomine PII subinde insignitum, vt PAGI existimauit *crit.
Bar. tom. I. p. CLXVIII* adducta inscriptione *panormitana ex
REINESIO p. CCCXI.*

§. XXVI.

Secundus antiquorum monumentorum ordo (§. XVI.) ^{nummorum} ^{examen.} ex testium numero plane expungendus est, licet ab vtriusque partis scriptoribus secure et sine vlla falsi formidine excitetur, nec quisquam in huius auctoritatis suspicionem inciderit. Vterque enim nummus ad hanc victoriam perperam omnino, et vel contra grauisimas historiae rerumque rationes, vel sine rationibus saltem huc refertur. Priorem nummum §. XVI. descriptum eo spectare profus non posse duae rationes efficiunt. Vna desumitur ab illa ipsa MERCVRII imagine appositaque inscriptione RELIG. AVG. quae ad beneficium pluuiae a MERCVRIO impetratae referri nequit, quum et saepius occurrat tam imago quam inscriptio ante annum cladis QVADORVM; et ratio vtriusque rei longe probabilior reddi possit alia, quam quae a ministerio MERCVRII in pluuiarum distributione, artiumque magicarum praesidio peti solet ad nummum hunc victoriae diuinitus impetratae vindicandum. Exempla indubia imaginis huius vna cum inscriptione RELIG. AVG. deprehendi tria in nummis certo praegressis hanc victoriam. Vnus est anni a CHRISTO nato CLXXIII cum inscriptione in vna parte M. ANT. AVG. TR. P. XXVII atque in altera RELIG. AVG. IMP. VI. COS. III, qui recensetur a FRANC. MEDIOBARBO (n), vbi tamen MERCVRIVS cum caduceo et crumena illo repraesentari perperam dicitur, quod oculorum, quibus hunc nummum tractavi (o), testimonio noui. Alter ad annum CLXXII pertinet, qui eandem imaginem et inscriptionem cum praegresso exhibet, mutato tantum anno, qui in eo sic exprimitur TR. P. XXVI. IMP. VI. COS. III (p). Tertius ad annum CHRI-

E 3

STI

- (n) In *Imperat. romanor. numismat.* editionis PHIL. ARGELATI anno MDCCXXX. p. CCXXIII.
- (o) Ex nummophylacio celeberr. IO. HENR. SCHVLTZII collegae amicissimi mecum communicatum, in quo distincte conspicitur MERCVRIVS non crumenam, quam alias tenere solet, sed patenam dextra exhibens. Neque S. C. a MEDIOBARBO ex *indice PONTALIO* commemorati in eodem vllum vestigium deprehendi.
- (p) apud MEDIOBARBVM l. c. (n) pag. eadem.

STI CLXIII refertur, per reliqua iam commemoratis simillimus, anno sic expresso TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III (q). Satis inde elucere arbitror hanc MERCVRII repraesentationem utpote antiquiorem in nummis M. AVRELIJ, originem suam non debere beneficio pluviæ et victoriæ anno demum CLXXIII reportatæ, sed aliunde deriuandam esse. Quod euidentius patebit, si verio rem originem propofuerimus. Vbi sic ratiocinamur: inscriptionem rariorem REL. AVG. quam nonnulli folius M. AVRELIJ nummis vindicant (r), VALERIANI tamen aliquis præterea nummus exhibet, imagine DIANAË *venatricis dextra telum, sinistra arcum gerentis*, et inscriptione RELIGIO AVGG. conspicuus (s), virtutem colendi numen significare; atque proinde deorum imagines hac inscriptione aequæ ac simili PIETAT. AVG. (t) insignitas diuinitatem peculiarem indicare, cuius numen præ reliquis veneratione et religioso cultu profecuti sunt illi Augusti; quod de VALERIANO indubium est, cuius singularis cultus erga DIANAM ex templo ipsi exstructo in regione sexta vrbis nomineque DIANAË VALERIANAË insignito apparet. Perpetuam igitur MERCVRII repraesentationem in nummis M. AVRELIJ, qui RELIG. AVG. præ se ferunt (v), peculiarem cultum huic numini

(q) ibidem (p) pag. CCXVIII et in *regum et imperator. roman. numism. Arsebotanis tab. XXXV num. XVIII* vnde MEOBARBUS mentionem desumpsit.

(r) EZECH. SPANHEIM *de præf. et usu numism. tom. I. p. CLIII*,

(s) quæ plurium Augustorum mentio ad VALERIANVM ET GALIENVM pertinet. Occurrit hic nummus in MEOBARBO (n) p. CCCLXVIII. IO. VAILLANTI *num. imper. rom. ed. Paris. ann. CID ID CLXXXIII tom. II. p. CCCLVIII* et BANDVRI *num. imp. tom. I. pag. CVIII. CXXVIII. CXXX.*

(t) de quo significato PIETATIS conferatur EZ. SPANHEIM *de pr. et vf. num. diss. XII. tom. II. p. CCCXXXV.*

(v) cuiusmodi præter tres ante commemoratos præclarus aliquis exhibetur a MEOBARBO (n) p. CCXXI. ANT. AVGVSTINO in *dialogi sopra le medaglie dial. II. edit. Roman. an. CID ID CCXXVI p. XXXVII.* IO. HARDVINO in *bist. aug. ex num. p. DCCLXXXV. io. VAILLANTIO (s) tom. I. p. LXXXV.* et LAVR. BEGERO *num. Arsebotan. tab. XXXVI n. V. atque in annotat. p. VIII. in cuius vno*

LEGIONIS FVLMINATRICIS. XXXV

mini ab AVRELIO habitum significare : cuius triplex ratio conici potest ex diuerso MERCVRII munere praefidioque, quod gentes a vero DEO alienae effinxerunt. Nam quum MERCVRIVS et medicinae (w), et litterarum imprimisque philosophiae studiis (x), et fa-
rorum curae religionique (y) praesse crederetur : probabile omnino est M. AVRELIVM corpore plerumque aegrum, et cum grauissimis

vno latere caput laureatum sifitur cum inscriptione M. AVREL. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVII, in altero porticus vel templum cum quatuor columnis seu hermis, atque MERCVRIO in aditu posito, in fornice summo autem gallo gallinaceo, ariete et caduceo atque inscriptione circumposita IMP. VI. COS. III. sub templo autem RELIG. AVG. atque ad latera templi S. C. Posset eodem referri nummus a IO. VAILLANTIO in *numism. aet. imper. in colonis percuss. rom. I. pag. CLXXXII* exhibitus, vbi MERCVRIVS sedens, dextra extensa, sinistra caduceum tenens, pro pedibus aries sifitur cum inscriptione C. L. I. COR. seu colonia laus Italiae Corinthus, nisi constaret ciuitates et colonias diuinitates apud se praecipue cultas in numis repraesentasse, qualis MERCVRII fuit apud Corinthios. Neque alia ratio esse videtur nummi TIANNENSIVM cum MERCVRII imagine, quem exhibet CAR. PATINVS *num. imp. rom. ex aere p. CCXXXVII.*

- (w) Laboriosissime id euicit OL. BORRICHIVS in *Hermetis, Aegyptiorum et Chemicorum sapientia* cap. II. a pag. XXII ad XXXIII. Idem ex gallo galinaceo, qui ad medicinam eiusque symbola refertur, MERCVRIO consecrato apparet, de quo conferatur celeb. IO. HENR. SCHULTZII *dissert. de Thasior. nummis* p. XXXV, et IO. PET. BELLORIVS in *Lucern. sepulcr.* a LAVR. BEGERO editus part. II p. VIII, vbi aliae rationes proferuntur.
- (x) De quo prolixè disserit GALENVS coeuius, et familiaris M. AVRELIO in *paraphr. Menodoti oration. suasor. ad artes.* PHILOSTRATVS de *vita APOLLONII lib. V. cap. V.* Plura testimonia collegit VAILLANTIVS (v) *rom. II. pag. CCXXXVII*, et PAOLO PEDRVS in *opere numismatico rom. VII. Cesari in metallo grande p. CXXXIII* &c.
- (y) Praeclare hoc conicit ALB. RVBENIVS in *com. ad num. Arschot.* a LAVR. BEGERO edit. (v) p. LXXII vbi scribit, *sed cur Mercurius cum in hoc nummo, tum in aliis, pro pietate et religione ponitur? rationem esse puto, quia Mercurius sacrificia et decorum cultus tradidit. Diodorus Siculus lib. I. de Mercurio, litteras invenit, decorum cultus et sacrificia ordinavit.*

mis morbis confictatum MERCVRIVM peculiari cultu venerandum sibi delegisse; vel quod longe probabilius est, ob litterarum omnium et philosophiae maxime studium incredibile, hunc doctrinarum auctorem et praesidem praecipue colendum duxisse; vel, quod omnium verosimillimum est, pro superstitionissima sacrorum cura (z), huic religionis doctori, deorum nuntio sacrorumque facientorum praefidi praecipuam venerationem addixisse atque in nummis testatam fecisse; quod patera seu phiala libationis instrumentum in iisdem obuium satis comprobat (a).

§. XXVII.

- (z) A qua superstitione alienum non fuisse literatissimum principem AMMIAN. MARCELLINVS perhibet *rer. gest. lib. XXV. c. XV. ed. Lindenbrogianae* p. CCXV. vbi de *Juliano* scribit: *fuit superstiosus magis quam sacrorum legitimus obseruator, Marci illius similis caesaris, in quem id accepimus dictum οἱ λευκοὶ βόες μάγκω τῷ Κείσασσι. ἀντὶ νικήσης, ἡμεῖς ἀπολώμεθα.* Plura testimonia habebis apud clariss. CHRISTOPH. WOLLIVM in *vita M. AVR. ANTON. obs. crit. illustr. §. VIII. obs. ad edit. Lips. M. Ant. τῶν εἰς ἐαυτὸν.* p. CLI. et GUALT. MOYLE I. c. (proem. c.) p. DCCCIII.
- (a) Aliorum augustorum nummis idem confirmari potest, ex quibus solum hic adducemus Q. HERENNIVM ETRVSCVM MESSIVM DECIVM, patris TRAIANI DECII collegam, cuius vnus octo nummos recenset MEOBARBVS (n) p. CCCLV inscriptione PIETAS AVGG. insignitos, quorum quinque vasa pontificalia exhibent, reliqui tres MERCVRIVM, quod luculento satis indicio est HERENNIVM a patre DECIO in societatem pontificatus maximi assumptum; MERCVRIVMQUE his sacris curandis praesidere creditum esse. Plura de rarioribus his nummis HERENNII, quorum vnum celebrat SCHULTZIVS possidet, dabunt EZECH. SPANHEIM. *de pr. num. diss. XI. tom. II. p. CCLV.* ALB. RVBENIVS *in comm. ad num. Arsebot. tab. LVIII n. X ed. Begerianae* p. LXXXVIII CAR. PATINVS *in num. imp. rom. ex aere* p. CCCLXXXIII qui duo posteriores MERCVRIVM ob diuitiarum et mercaturae praesidium hic sisti perperam autumant, et IO. VAILLANT *in num. imp. rom. tom. II. p. CCCXXXI* qui rectius MERCVRIVM ad sacrorum curam hic refert.

§. XXVII.

Altera ratio, quae hunc nummum ex monumentorum vi- idem conti-
 gloriæ miraculosæ numero excludi iubet, in ipsâ illius inscriptione nuatur.
 dignitatũque M. AVRELIJ commemoratione occurrit. Constat enim
 omnium, qui nummum controuersum describunt, fide AVRELIVM
 in illo IMPER. VI vocari: quum igitur euidentissimo DIONIS testi-
 monio (§. X) efficiatur, AVRELIVM ab hac victoria *Imperatoris septi-*
imum nomen accepisse non expectato senatus consensu; idemque
 nummi illius indubium reddant: fieri profecto non potuit vt in
 nummo post victoriam diuinitus impetratam, atque in memoriam
 illius cuso *sextum* non *septimum* Imperator vocaretur. Suboluisse
 videretur difficultas SAM. BASNAGIO (b), dum de nummo hoc sic iu-
 dicat; *debut tamen Marcus in eo nummo scribi imperator septimum,*
quomodo a militibus appellatum esse ex Dione scimus; quæ nisi num-
 mi ad historiam emendentur, non historia, vt par est, ad nummos exi-
 gatur, sagacissimum scriptorem mouere debuissent ad reiciendum
 hunc nummum ex testium miraculi ordine, quem incaute auget bre-
 ui ante verba commemorata perhibendo, in nummis cerni imaginem
 vel IOVIS vel MERCVRII precibus MARCI annuentis, qualem IOVE
 insignitum nemo, quod sciam, vsquam excitauit. Superfedere ita-
 que potuisset MOYLIVS operosissima huius nummi explicatione et
 conciliatione cum columna ANTONINIANA in rem suam (c).

§. XXVIII.

Restat posterior nummus, quem PATINI coniectura (§. finitur illud.
 XVI) huc retulit. In qua refutanda otium nobis facit ipse conie-
 cturæ auctor perspicacissimus, qui non solum in explicatione eius-
 dem nummi alias longe probabiliore rationes huius figuræ propo-
 nit (§. XVI), quibus illam opinionem satis infirmat et improbarem
 reddit: verum etiam in *indice numismatum* (d) aliud simillimi nummi
 eēlypon inter nummos ANTONINI PII exhibet, adiecta obseruatio-
 F ne

(b) *annal. polit. eccl. tom. II. p. CLVI.*(c) *l. c. (proem. c) p. DCCCLXXXX &c. et DCCCXIII.*(d) *pag. XIII.*

ne frequenter illud fulgur imperatoribus romanis obtulerunt Macedones gloriae praeteritae memores. Vnde consequitur solemnem nummorum macedonicorum imaginem, ANTONINO PIO saltem publice exhibitam, ex victoria M. AVRELIJ deriuari neutiquam posse. Eadem certe, si non maiori probabilitate duo alii nummi M. AVRELIJ huc referri possent. Vnus ad an. CLXXVII pertinet, qui in vna parte caput laureatum exhibet cum inscriptione M. ANTONINVS AVG. GERM. SAM. TR. P. XXXI, in altera vero IOVEM nudum fulmen in barbarum humi prostratum vibraturum cum inscriptione PROPVGNATORI IMP. VIII COS. III P. P. et in medio S. C. (e). Alter sistit IOVEM sedentem cum fulmine in dextra et aquila ante pedes atque inscriptione ΔΙΟΣ ΚΑΤΕΒΑΤΟΥ ΚΤΡΡΗΣΤΩΝ (f), qui tamen ad L. VERI nummos pertinet. Sed temporum rationes bene subductae vtrumque hinc arcent, prior enim indubie recentior, posterior vetustior est, quam vt ad hanc victoriam post obitum VERI, et AVRELIJ anno *tribun. pot.* XXVIII reportatam respicere possit. Neque per easdem temporum rationes huc referendus est nummus, quem celeb. SIGIB. HAVERCAMPVS huius victoriae memoriam conseruare arbitratus est (g), cuius vna pars caput laureatum

- (e) occurrit hic nummus apud VAILLANTVM (§. XVI a) *rom. I. pag.* LXXXII expressus, et descriptus p. LXXXIII.
- (f) Exhibetur expressus apud PATINVM (§. XXVII a) p. CCLVI, similis *Cyrristensium* nummus ibidem occurrit cum IOVE *descensore* seu *elicio* inter numismata ANTONINI PII (§. XXVI. v).
- (g) in *Observat. ad PAVL. GROSII bistor. lib. VII cap. XV. pag.* CCCCLXXXIII vbi sic scribit; *victoriae huius memoriam conseruat typo, pondere atque praestantia insignis medallio, qui olim in museo Marekiano, nunc Kronenburgiano, Hagae comitis adseruatur &c.* Melius refertur ad hanc victoriam vterque nummus, quem PAOLO PEDRVS exhibet; *cesari in medaglioni tom. V. tab. XI. n. V. et VI, si in posteriori pro anno trib. pot. XXVII legitur XXVIII.* Qui ibidem occurrunt duo nummi M. AVRELIJ cum fulmine *tab. X. n. VI. et tab. XI. n. III* huc trahi nequeunt, in prioris enim vna parte caput exhibetur cum inscriptione AVRELIVS CAESAR. AVG. PII TRIB. POT. X COS. II, altera vero VVLCANVS fulmen cudens, quod MINERVA tanquam imperii symbo.

LEGIONIS FULMINATRICIS. XXXVIII

tum habet cum inscriptione M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXV altera currum triumphalem cum quadrigis verbisque IMP. VI. COS. III. et infra VICT. GERM. Incidit enim indubie illa victoria in annum tribunitiae potestatis AVRELIJ XXVIII (§. XVI), debuissetque AVRELIUS IMPER. VII. non VI vocari in nummo huic victoriae celebrandae destinato. Quare conclamandum omnino est de veritate huius miraculi ex nummis confirmanda.

§. XXVIII.

In tertio monumentorum ordine (§. XVII-XXVIII) idem litterae M. Avelii ad te-
 eueniet, quod secundo accidit, vt ex testium huius miraculi numero exfulare iubeantur. Quae primo loco comparent litterae M. AVRELIJ ad Senatam, licet IUSTINI MARTYRIS apologiae II adponi soleant, ab hoc certe scriptore ibi collocari non potuerunt, vt qui diu ante hanc rem gestam diem suum martyrio obierat (h), quod ipsum iam aliquam suspicandae fictionis rationem suppeditat. Indubiam illam reddidit IOSEPH. IVST. SCALIGER (i) his argumentis.

litterae M. Avelii ad te-
 natum ex-
 aminantur.

F 2

In

symbolum AVRELIO deposcit; incidit igitur in tempora, quae imperium ipsius praecesserunt, quod an. TRIB. POT. XV nactus demum est: posterior vero sedit ex vno latere caput laureatum cum verbis M. ANTONINVS ARM. PARTH. MAX. ex altero IOVEM cum fulmine in dextra fatis grandem appositosque vtrique lateri homines minutiores, cum inscriptione TRIB. POT. XXII IMP. IIII COS. III; quare et hic antiquior est bello QVADORVM atque praesidium Iouis AVRELIO et VERO praestitum repraesentat, cuiusmodi symbolum cum verbis Iupiter CONSERVATOR vel PROPYGNATOR fatis frequens est in nummis AVGVSTORVM conf. ib. tom. VII tab. XXI. n. II.

- (h) In multas quidem partes discedunt, qui de anno martyrii IUSTINI definiendo elaborarunt, quem paucissimi ad ANTONINI PII, aut improbabilius ad ipsum HADRIANI imperium referunt, plerique tamen EVSEBIUM secuti M. AVRELIJ et L. VERI temporibus vindicant, atque in anno CLXV collocant, vt nouem integros annos praecesserit hanc victoriam litterasque AVRELIJ ad senatum datas, vt supinae ignorantiae aut incogitantiae reos se agant, qui IUSTINVM ipsum inter testes miraculi allegant, quod factum est a SPIZELLO (§. XV. k).
- (i) *Animaduersionum ad chronologica Eusebii* p. CCXXII &c.

In inscriptione et omitti commemorationem dignitatum honorumque Augustorum nominibus apponi solitorum (k); et senatui, qui inusitatum ROMANIS appellationem SACRI gerat, iungi *populum romanum*, cui imperatores litteras laureatas inscribere nunquam consueverint, ad solum senatum dari solitas: praeterea voces in litteris occurrere recentiores et diu post AVRELIVM introductas demum, vt *draconum* (l) *exploratorum* (m); stilum etiam abhorre a latina aequae ac graeca dictione illius temporis, et saeculum *Iustinianum* redolere: ipsum denique argumentum scaterere contradictionibus et narrationibus a verisimilitudine alienissimis, quorum pertineat relatio de christianis innumeris iisque sine armis in exercitu romano militantibus. Mouerunt haec rationes, quae facile auge-

ri

- (k) Commemorat SCALIGER appellationes hic omittas *Partibici*, *Armeniaki*, *patris patriae*, *pontif. max.* prima vero appellatio memoriae vitio excidit SCALIGERO, existat enim in omnibus huius epistolae exemplis.
- (l) Suspiciatur SCALIGER *Δραγώνων* hic legendum esse non *δρακόντων*, *draconum* enim signa romano exercitui propria, *drungos* autem vocatas fuisse barbarorum cohortes, quae vox a saeculo DIOCLETIANI demum ad Latinos transierit. Quae tamen CLAVD. SALMASIO in notis ad IVL. CAPITOLINVM (§. XII) minus probatur, existimat enim AVRELIVM ex sententia epistolae subdititiae non de suis, vt SCALIGER arbitratur, sed hostium copiis loqui, quoniam LXXIII dracones legiones septem et dimidiam effecturae fuissent, quum quatuor tantum secum habuerit. Idem vero ex ipsa hac voce *draconum* non immutata epistolam impugnat, quod eo tempore haec signa apud Romanos nondum adhibita fuerunt.
- (m) De *exploratoribus* conferatur EZ. SPANHEIM *de vs. num. diss. X. rom. II. p. CCXXXV* &c. &c. vbi satis apparet ex locis allegatis, hominum genus et nomen vetustius fuisse in romano exercitu, vt SCALIGER de voce graeca tantum haec pronuntiasse putandus sit, sub imperio graeco *constantinopolitano* demum vsurpari coepisse. Quod tamen, vt quod res est fateamur, epistolam suppositionis nondum argueret, sed versionem tantum graecam recentiore esse demonstraret, vnde etiam barbaries illi delinari omnino posset,

ri possent (n), plerosque miraculi controuerſi patronos, oculatioris saltem, vt hoc testimonium missum facere satius duxerint, quam de eius iudicij incassum laborare (o). Neque iuuatur haec caussa exemplo latino harum litterarum recentius, tamquam ex bibliothecae vaticanae cimeliis, producto (p): licet enim pleraeque notae fictionis a SCALIGERO commemoratae ab eo absint, indubium tamen esse videtur post censuram Scaligerianam has litteras ex graeco verſas latiniore redditas et emendatas fuisse (q) ad colorem suppositioni

- (n) Huc refero et silentium dignitatis nouae ab exercitu tam M. AVRELIO, dato ipsi Imperatoris VII nomine, quam FAVSTINAE tributae, quae *mater exercituum* appellata est teste DIONE (§. XI); quam certe AVRELIVS ad senatum referre neglecturus non fuisset, quo religioſius alias hunc honorem ab exercitu sibi delatum sine senatus consensu accipere renuit: et mentionem *praefecti*, qui VERASIVS POLLIO vocatur in litteris subdititiis, quo nomine deprauato T. VITRASIVS POLLIO sine dubio indicatur hoc tempore celebris; is enim anno demum christi CLXXVI consul fuit cum M. FLAVIO APRO teste *diff. hypat. Ant. Pagi cap. XII*. p. LXXXXII biennio post annum victoriae huius, quare eo tempore *praefectus urbi* esse non potuit, vt quem consularem esse oportuit; nisi forte an. CLXVI iam consul primum fuerit, quod nonnulla exempla fastorum consularium asserunt cf. THEOD. IANS. AB ALMELOVEN *fast. consul. ed. II*. p. CXXXX. DXXIII. DLXIII: et commemoratum POMPEIANVM, quem AVRELIVS bello huic ducem praefecerit, quum teste historia PERTINAX potius huic bello praefuerit, cui etiam nonnulli scriptores ipsam hanc victoriam tribuunt, vt EVSEBIVS (§. III) et qui illum sequuntur; conferatur TILLEMONT (§. XX, v) *pag. CCCLXV* et CCCCLIII qui p. CCCLXVIII M. RVFVM BASAEVM praefectum praetorio eo tempore fuisse ex DIONIS lib. LXXI conicit.
- (o) cf. TILLEMONT (§. XX, v) p. DLX *not. XV*. HVETIVS (§. XX, v) p. LXVI WITSIVS (§. XX, x) §. LVIII. PRICKIVS (§. XX, v) §. XVI.
- (p) Leguntur hae litterae emendatae ex ANG. DE ROCHA *bibl. vatic.* apud SPIZELIVM (§. XV, k) p. CXXXVI ad CXXXVIII.
- (q) ex gr. inscriptio epistolae sic exhibetur *Imper. Caesar. M. Aurelius, Antoninus, Augustus, Parthicus, Germanicus, Sarmaticus, Pontifex maximus tribunitiae potestatis XXVIII. Imp. VII. Cof. III pater patriae procos. f. p. q. r. f. d.* vbi non solum *sacri senatus* appellatio exultat, verum etiam mentio dignitatum litteris Augustorum apponi solita comparat, *aruentiaci* tamen cognomine

tioni obducendum. Vtrum olim exstiterit epistola AVRELIJ ad senatum *christianis* fauens iam non dum disputamus, quod deinde commodius fiet, hic enim demonstrasse sufficit illam, quae hodie circumfertur, fictam esse et subditiā.

§. XXX.

examen edi-
ti *antonini-
ani.*

Quod secundum locum in hac tertia monumentorum classe occupat, edictum M. AVRELIJ (§. XVIII) vel idem est cum litteris ad senatum, earumque postremam partem constituit (§. XVII), atque iisdem difficultatibus obnoxium et easdem ob rationes reiiciendum est (§. XXVIII), pro peculiari teste saltem non habendum; vel si ab illis differt, aut independentibus ab illarum veritate argumentis stabilitur, admodum dubium et veri dissimile esse videtur. Nititur illa demonstratio duobus testimoniis, vno TERTVLLIANI (§. II), quod EVSEBIVS verbis eiusdem repetiit (§. III), altero in historia APOLLONII apud EVSEBIVM (§. XVIII. q) obuiō. Prior TERTVLLIANI locus varie legitur. RIGALTIVS verba sic exhibet *sicut non palam ab eiusmodi hominibus poenam dimouit, ita alio modo palam disperfit, adiecta etiam accusatoribus damnatione et quidem tetriore.* PAMELIVS vero et antiquiores editores sensu fere contrario habent *sicut palam ab eiusmodi hominibus poenam dimouit.* Lectio prior cum sententia illorum melius conuenit, qui poenam

mine omisso, ne correctio ad censuras Scaligeri facta nimium peluceat. Sed ipsa haec emendatio fraudem prodit, nam vt illius primas voces inepte satis positas non commemorem, mentio *parthici et sarmatici* cognominis iis aperte contradicit, quae IVL. CAPITOLINVS (§. XII. e) p. CCXVIII perhibet his verbis *Marcus tanta fuit moderatione, vt cum simul triumphasset tamen post mortem Lucii tantum germanicum se vocaret, quod sibi bello proprio pepererat,* quare licet in quibusdam nummis aliorum maxime cura culis plures ipsi tribuantur appellationes a gentibus triumphatis desumptae, admodum tamen improbabile est AVRELIVM sibi ipse haec nomina daturum fuisse in epistola publice scripta, quare efficitur vt tam haec pars censurae *Scaligerianae*, quam haec emendatio litterarum fundamento careat.

LEGIONIS FVLMINATRICEIS XXXXIII

nam, quam APOLLONIVS dedit, ex AVRELII edicto sumtam ab illo arbitrantur, posteriori fauet subditiua AVRELII epistola (§. XVII), cuius certe fabricator TERTVLLIANVM sic legisse videtur, dum AVRELIVM christianos ab omni poena liberos pronuntiare fingit. Quae, si alteri *rigaltianae* lectioni praefertur, verisimillimam reddit MOYLII (r) coniecturam, verba haec TERTVLLIANI de edicto AVRELII non ita cohaerere cum immediate praegressis, vt rem, quae eodem tempore acciderit, enarrent, sed prouocari illis ad aliquam AVRELII legem alio quidem tempore latam, eiusdem tamen illius aduersus christianos acquitatis et fauoris argumento futuram; EVSEBIVM saltem ita intellexisse TERTVLLIANVM exinde apparere, quod post narrationem de epistola AVRELII addit, tanquam de alia re noua locuturus (§. III) τοῦτον δὲ Φησι καὶ Θάνατον ἀπειλησσαι eundem etiam, scilicet AVRELIVM, idem *perhibet mortem comminatum esse accusatoribus nostris*; perquam ex illis probabile esse loqui TERTVLLIANVM de rescripto M. AVRELII *ad commune Asiae*, quod in EVSEBIO obuium est (s). Posterius argumentum ex APOLLONII supplicio defunctum leuioris momenti est, nam si vel verissima esse existimatur historia ab EVSEBIO narrata, cuius tamen partes saltem nonnullae probabilem suspicionem falsi fecerunt MOYLIO (r), effici euidenter non potest verbis illis *κατὰ βασιλικὸν ἔρον* ad M. AVRE-

LII

(r) *diff. Mosheim.* (prooem. c) p. DCCCXXXIII &c.

(s) *bisf. eccles.* li. III cap. XIII vbi ANTONINO PIO per errorem tribuitur, quum AVRELIO adscribendum sit, vt HENR. VALESIVS in *notis ad loc. cit.* IUST. IOS SCALIGER ad EVSEB. HENR. DODWELLYS *diff. cypr.* XI. c. XXXVIII. ANTON. PAPI *critic. in Baron. vol. I. pag. CL.* LARROQVAVS (§. XXII. e) p. DCXXXI-DCXXXI. et MOYLIVS (r) demonstratum iuerunt, aliis tamen EVSEBIVM defendentibus TILLEMONTIO inprimis *mem. pour servir. a l'histoire eccles.* tom. II p. CCCLXXXII &c. et DCLI &c. Quod tamen hanc coniecturam non euerteret, quum facile fieri potuit vt TERTVLLIANVS edictum, quod nonnullis, vt DODWELLO et MOYLIO, omnino dubium et suspectum visum est, M. AVRELIO daret ab aliis ANTONINO PIO adscriptum.

(*) *loc. cit.* (r) p. DCCCXXXIII &c. idem iam coniecerat LARROQVAVS (§. XXII. e) p. DCXXX &c.

LII legem christianis fauentem ob victoriam miraculosam respici (u), quum aeque facile vel COMMODI aliquod mandatum peculiare de illa causa, vel illud ipsum AVRELII rescriptum *ad commune Asiae*, quod in casu extraordinario a senatu legis generalis instar obseruatum fuerit, vel alia quaedam lex in accusatores christianorum grauis intelligi posse videatur. Hoc certe dubio caret recidere rem omnem hanc, si a litterarum subditiarum AVRELII parte posteriore (§. XXVIII) discesseris, cum qua tamen poena ab accusatore APOLLONII sumta minus conuenit, ad vnus TERTULLIANI auctoritatem, qui quum inter reliquos testes historicos compariturus sit, ex monumentorum publicorum ordine iam arceri debet.

§. XXXI.

examen legis
apud Vlpianum.

Legem ANTONINI ab VLPIANO conseruatam, vltimo loco inter haec monumenta publica commemorari solitam (§. XVIII), ipsi causae huius patroni iam dudum deseruerunt. WITSIVS grauisime pronuntiat, *eam ad hanc rem non pertinere tam in procliuu esse palam facere, quam imber quum pluit* (v). Cuius sententiae plures proponit rationes, primam quod credi non possit AVRELIVM recenti CHRISTIANORVM beneficio obstrictum eos vel cum IVDÆIS confudisse vel superstitionis reos pronuntiasse; secundam a genuina loci allegati lectione desumptam, quam recentiores editores et interpretes

(u) quod ipse WITSIVS agnouit (§. XX. k) §. LX.

(v) loc. cit. (§. XX. k) §. LX - LXIII. cf. MOYLIUS (proem. c) pag. DCCCXV. Prior ex FRANC. BALDINI lib. *ad edicta principum romanorum de christianis* p. LXXXVII duo alia argumenta adiicit leuiora, vnum ab odio infensissimo DOMITI VLPANI desumptum. qui teste LACTANTIO *instit. lib. V. cap. XI de officio proconsulis rescripta principum nefaria collegit, vt doceret, quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur*, vnde recte conuicit eundem in christianos ita animatum hanc legem, si christianis fauisset, commemoraturum non fuisse, eius vero memoriam Iudaeis profuturam ex odio christianorum conseruasse videri; alterum ex fauore SEVERI in Iudaeos, qui tantus omnino fuit extremis imperii annis vt praesumi omnino melius possit, quam alius quisquam Imperator, hanc legem ipsis proficuum tulisse.

pretes ad vnum omnes SEVERI et ANTONINI CARACALLAE esse fatentur (w); tertiam a temporum rationibus petitam, quod lex ab AVRELIO et VERO quinto iam anno ante hanc victoriam mortuo lata, effectus illius beneficii christianorum precibus diuinitus impetrati haberi omnino nequeat.

§. XXXII.

Postquam ex omni monumentorum publicorum numero (§. XV - XVIII), vnicum duntaxat remansit (§. XXV - XXXI) veri nominis testimonium (§. XXV): reliquorum testium censum iam agemus a *christianis* scriptoribus exorsuri (§. II - VIII). Quorum turba satis tumultuarie a nonnullis excitata in tres ordines dispesci debet. Vnus illorum est, quos perperam plane huc trahunt quum in censum hunc profus non veniant, studio etiam eam ob causam praeteriuimus in praegressis testimoniorum allegationibus (§. II - VII), quorsum et CYPRIANVS (§. III. i) pertinet, et omnium euidetissime IVSTINVS MARTYR, qui diu ante hanc rem in viuis agere desierat (§. XXVIII. h), nihilo tamen secius subinde ad numerum testium augendum producitur (x).

§. XXXIII.

Secundus ordo testes quidem complectitur sed *mediatos* secundus ordo tantum, vt ita loquamur, qui aliorum praegressorum auctoritatem secuti.

(w) conf. ANTONII AVGVSTINI *ad Modestinum lib. singularis* in cel. E-
VER. OTTONIS *thes. iur. rom. tom. III* p. CIO IO CI vbi praeter au-
toritatem codicis Florentini SEVERVM et ANTONINVM exhiben-
tis, ordinem quoque horum nominum inter rationes lectionis
quam defendit commemorat, quum ANTONINVS VERO praepo-
nendus fuisset ex more romanorum tam consulum quam Au-
gustorum collegarum, si lex illa horum imperatorum foret.

(x) quod a SPIZELIO factum est l. c. (§. XV. k) p. CXXXV, et in *no-
tis ad bist. de leg. fulmin. in actis sanctor. antwerp. m. febr. tom.
II. p. DCLV.* Neque fideiores aut rerum peritiores sunt, qui
HIERONYMVVM et RVFFINVM in testibus numerant, quod vterque
EUSEBII *chronicon* latinum fecit tantum, neuter vero in propriis
libris eius quidquam commemoravit.

cuti rem ab illis enarratam libris suis inferuerunt, atque illi duas iterum classes constituunt: ad *unam* referendi sunt, qui vel auctores, quorum fide miraculum commemorarunt, expresse nominant; vel rem ab aliis in litteras relatam sine accessionibus et immutationibus imo ipsis plerumque eorundem verbis repetant; ad *alteram*, qui historiam quidem non solum suis verbis, verum etiam cum nouis accessionibus atque in nonnullis partibus aliter quam ab antiquioribus et praegressis scriptoribus, qui adhuc exstant, factum fuit proponunt, adeo tamen a tempore miraculi ipsius abfuerunt, ut necessario historiam eiusque partes nouas vel ipsi finxerint, vel ex aliis praegressis scriptoribus, qui nunc perierunt, desumerint. Prioris classis scriptores, si vnum antiquiorem auctorem sequuntur, vna cum illo auctore vnicum duntaxat testem efficiunt, quum testimonii valor non augeatur, multo minus ipsum testimonium multiplicetur, scriptorum vetustiore narrationem exscribentium et repetentium multitudine. Posterioris classis auctores apud aequissimos arbitros, qui fidem illorum prorsus non sollicitant neque vllam fingendi libidinem suspicantur, prioris classis scriptoribus postponendi sine dubio videbuntur, atque cum illis in statuendo auctoritatis testimoniique pretio nequitiam comparandi. Huc referimus EVSEBIUM, qui ad vtramque hanc classem pertinet, in *historia ecclesiastica* (§. III), vbi APOLLINARIS ET TERTULLIANI auctoritatem sectatur, cui tamen parum tribuere ipsemet videtur (y) ad priorem

(y) Ipsam narrationem orditur hac locutione λόγος ἔχει fertur, quam breui post repetit ἄλλο τε λόγος ἔχει παραδοξέστερον ἐπιαιταλαβεῖν αὐτῆα, his vero verbis concludit: ἀλλὰ τὰυτα μὲν ὅπη τις ἐθέλη τιθέσθω, sed de his quisque pro arbitrato suo statuat. Fortiter viget haec scriptoris dubitandi et de certitudine rerum, quas narrat, ambigentis signa MOYLIUS (prooem. c) p. DCCCLV et DCCCLXI. Neque FRICCIUS dissitetur inductione locorum, vbi EVSEBIUS his formulis vtitur sibi constare, scriptorem subdubitate de narratione, quam perhibet, quod tamen coacte admodum et contra nexum scitumque illarum formularum ad eam tantum historiae partem pertinere arbitratur, quae de integra legione christiana, vel AVRELI litteris narrauerat (§. XX, v) §. XX.

LEGIONIS FVLMINATRICIS. XXXXVII

priorem, in *chronica* (§. III) autem ad posteriorem. Neque minus priori classi accensendos esse putamus XIPHILINVM (§. VII) PROSPERVM (§. VIII. u), auctorem *chronici paschalis* (§. VIII. v), GEORGIVM SYNCCELLVM (§. VIII. w), scriptorem *collectionis historico-chronographicae* (§. VIII. x), et auctorem *chronici ex saeculo XII* (§. VIII. a) omnes EVSEBIVM ipsum secundi huius ordinis scriptorem secutos; praeterea etiam PAVLLVM DIACONVM (§. VIII. w) OROSI compilatorem, CEDRENV M (§. VIII. y) denique cum ZONARA (§. VIII. z) qui aperte sua ex EVSEBIO et DIONE habuerunt. Ad posteriorem classem reiicimus GREGORIVM NYSSENV M (§. V) duobus pene saeculis ab AVRELIO distantem, ipsum OROSIV M (§. VI) ultra integrum et sesqui saeculum a miraculo remotum, SVIDAM (§. VIII) et NICEPHORVM CALLISTVM (§. VIII. b).

§. XXXIII.

Tertium ordinem constituunt testes, quos *immediatos* vo- ordo tertius. cabimus, quod aliorum scriptorum auctoritate non indigent, sed rei fidem faciunt, quam si non oculorum sensuumque testimonio comperire, rescire tamen vel testium oculatorum narratione vel fama indubia breuioris temporis potuerunt. Atque hi ipsi duplicis generis sunt. Non enim perinde est ad certitudinem efficiendam, ut libros et ipsa verba horum scriptorum habeamus integra, vel solo infectorum scriptorum libros iam deperditos excitantium testimonio apud nos de illorum narrationibus constet, inprimis si vage allegantur sine verborum, quibus vsi sunt, recitatione. Honorifice et quam aequissime agitur cum TERTVLLIANO (§. II) et APOLLINARI (§. III), si ille ad priorem classem huius ordinis, hic ad posteriorem refertur.

§. XXXV.

Idem discrimen intercedit inter scriptores a christianorum examen religiosi facis alienos (§. X-XIII). Quorum vnus ad primum ordinem in- quorum scri- testabilem (§. XXXII) reiiciendus est AELIVS LAMPRIDIVS (§. XII), ptorum. vt qui miraculi huius, aut rei ad illud pertinentis nihil omnino
G 2
quidquam

quidquam memoriae prodidit: tres ad secundum ordinem *mediatorum* testium referri debent, quum IULIVS CAPITOLINVS (§. XII) sesqui saeculo, THEMISTIVS (§. XIII) et CLAVDIANVS (§. XIII) duplo plus ab ipsa re gesta abfuerunt, inter quos primus ad posteriorem, secundus, si columnam ANTONINI testatur (§. XXV), et tertius, qui ex DIONE sua depromsit (§. XIII. X. XI), ad priorem illius classẽm pertinet: solus igitur DIO (§. X. XI) tertio ordini testium *immediatorum* vindicari potest.

§. XXXVI.

numerus testium suppeditatur.

Hac itaque ratione computo factõ, indubium est ingens agmen testium ad mirificam paucitatem reduci, vt ex populo vix familia superet. Neque contra hunc calculum excipi iure potest; duplici ratione augeri vim testimoniorum mediatis his testibus, quod primum vbi praegressos auctores iamdum superstites sequuntur, credibilem ipsis vitam fuisse eorundem narrationem neque contraria apud alios vetustiores scriptores inuenisse demonstrant; deinde vero si ab illis discedunt, aut noua proferunt, aliorum, quos temporum iniquitas interceptit, auctoritate id facere praesumendi sunt (§. XXII). Prior enim ratio in testibus prioris classis secundi ordinis (§. XXXIII) conceditur, licet exempla non desint, vbi posteriores scriptores vetustissimis iisque fide dignissimis auctoribus recentiores praetulerunt vel ignorantia vel partium studio inducti; eaque si nimium virgeatur plus probaret quum intenditur, efficeretque quosuis recentissimos historiae sacrae scriptores, quibus haec narratio probabilis et vera vita est, ad testes referendos esse: posterior vero in classe posteriori secundi ordinis (§. XXXIII) ea tantum demonstrat, quae fieri et potuerunt forte et debuerunt certo, vnde tamen ad ea, quae vere et actu facta fuerunt, concludi nequit. Neutra autem discrimen dignitatis et momenti ipsorum testium euerit, sed potius confirmat. Vt adeo in limitibus et gradibus veri certique determinandis, sensuque testium legitime agendo proletarii, secundi, inferiores et mediati scriptores, qui ipsi pro diuertitate temporis et maioris minorisque conuenientiae cum auctoribus praegressis

LEGIONIS FVLMINATRICIS XXXXVIII

praegressis admodum differunt, a principibus, classicis, superioribus et immediatis distingui omnino debeant.

§. XXXVII.

Inito sic testium numero, inuestigataque eorundem multitudi- dissensio ho-
tudi- rum testium.
ne et quantitate, proximum, quod nobis praescriptum negotium (§. XXIII), in consideranda conditione testimoniorum consistit triplicique opera absoluitur, ut examinemus quae tum ad eorundem dissensionem ostendendam, tum ad deficiens narrationum fundamentum ob oculos ponendum, tum denique ad credulitatem scriptorum euincendam in medium proferuntur, atque de auctoritate illorum multum detrahunt, si vera esse deprehenduntur. Ad dissensionem nonnulli referunt omissionem memorabilium historiae partium apud quosdam scriptores, quas alii commemorant. Sic fulminum nullam mentionem fieri apud TERTVLLIANVM (§. II) et THEMISTIVM (§. XIII) solum imbrem beneficium commemorantes, obuiam tamen in EVSEBIO (§. III. IIII), GREGORIO NYSSENO (§. V.) OROSIO (§. VI), SVIDA (§. VIII), CAPITOLINO (§. XII), DIONE (§. XI), CLAVDIANO (§. XIII), et in columna ANTONINI (§. XV. XXV), qui dissensus tanti visus est LARROQVANO (z), ut fulmina ab imbre remotum iuerit. Maioris momenti et euidetior est dissensio, si scriptores aperte sibi contradicunt et secum pugnantia perhibent, quorum indubie pertinet, quod THEMISTIVS rem omnem ANTONINO PIO tribuit (§. XIII), reliqui M. AVRELIO, cui ipsimet praesenti ea contigisse plerique memorant, quae illo absente duci ipsius PERTINACI euenisse, EVSEBIUS in *chronico* (§. IIII) et multi eius auctoritatem secuti (§. XXXIII. VIII) memoriae tradunt. Certius et magis dissonant scriptores in causa beneficii diuinitis impetrati commemoranda, quam christiani precibus suorum reliqui deorum cultores diuinitatibus suis vindicant. Neutra tamen pars inter se plene consentit. Nonnulli ex christianis integrae legionis has praesces tribuunt, ut APOLLINARIS (§. III), XIPHILINVS (§. VII) et NI-

G 3

CEPHO-

(z) l. c. (§. XXIII. e) p. DLVIII &c. ubi maiorem testium numerum maiori praefert.

CEPHORVS CALLISTVS (§. VIII. b): reliqui quorundam tantum militum christianorum mentionem faciunt, quos tamen GREGORIUS NYSSENVS pro maxima copiarum ab hostibus circumfessarum parte habuisse videtur (§. V). Diuinitatum cultores ipsi ambigunt, omnemque rem vel IOVI precibus AVRELI exorato, quod columna ANTONINI (§. XV) facit, atque adeo M. AVRELI pietati, vt CAPITOLINVS (§. XII), THEMISTIVS (§. XV), et CLAVDIANVS (§. XVI); vel artibus magicis carminibusque adscribunt, quod DIO (§. X) et SVIDAE auctores (§. VIII) faciunt (a).

§. XXXVIII.

examen huius discordiae continuatur.

Quae miraculi patroni ad amoliendam hanc contradictionis testium exceptionem regerunt, huc potissimum redeunt; *primum*, leuiora haec esse et a praetore non curanda, actum fore de omni rerum gestarum certitudine, si testes ex parte discordes plane reiici deberent et vnanimis vbique consensus testimoniorum superstitiose requiri: *deinde* certiora euadere reliqua in quibus consentiunt scriptores, qui in nonnullis dissident, quos hac ipsa dissensione suspicionem rei ex composito narratae, et ab vno ex alio desumptae effugiant: *praeterea* auctores deorum studiosos in rebus ad christianos spectantibus vel plane audiendos non esse ob studium incredibile partium, vel tantam saltem suspicionem facere historiae in rem

- (a) Discordiam quae inter eos intercedit, qui IOVI et qui MERCVRIO beneficium tribuunt, composuit MOYLIVS (prooem. c) pag. DCCLXXX et DCCCXIII. Reliqua pugna scriptorum et postea considerabitur, ubi nomen legioni a fulminibus inditum examinabitur, quod plerique studio, vt suspectum et falsum praeterierunt, a nonnullis memoratum; et leuioris momenti est, vt hostium denominatio, a quibus AVRELIVS victoriam reportauit; obsessiois conditio quam CAPITOLINVS *munimentum* peculiare nominat, reliqui solo castrorum positu factam esse perhibent; acre praelium quod nonnulli, vt iam inceptum ante tempestatis beneficae initium, alii vt insectum memorant, alii plane silent; et locus denique precum publice fusarum, quem nonnulli extra castra collocant hostibus inspectantibus cum stupore, alii castris includunt.

rem suam immutatae, vt vbi christianis contradicunt fidem non mereantur: has *tandem* dissensiones illorum falsi argui posse facillime, quum M. AVRELIVM constet a magicis artibus abhorruisse, fictis vero diuinitatibus tantum beneficium et miraculum tribui nequeat sine bonae mentis et ipsius rationis iactura: ipsam *denique* magicarum artium, et chaldaicarum superstitionum mentionem ab illis factam christianos subindicare odiose et IYDAEOS et CHALDAEOS nonnumquam vocatos, magiae saltem et superstitionis aperte accusatos a deorum cultoribus.

§. XXXVIII.

Pauci tamen, quibus hoc miraculum suspectum est, his si *idem* absolute rationibus satisfieri aut accusationem dilui existimant. *Prima* enim in illis omnino esse videtur argumentis, quae et plus probant, quam intenditur, et omne examen veritatis historicae evertunt, atque a credulitate parum absunt. Restringi saltem debet ad eas narrationum partes, quae rei gestae essentiam non mutant et variant, quod si hic obseruabitur valde vereor, vt illa ratio aequae ac *secunda* huc applicari et exstantissimis scriptorum variationibus praetendi possit. *Tertia* a partium studio defumta ipsamet huius vitii suspicionem facit, nam neque omnibus scriptoribus a sacris christianorum alienis animosior illa impudentia mentiendique libido imputari potest, quum LAMPRIDIUS, AMMIANVS MARCELLINVS, alique moderatissimam christianorum mentionem faciant, neque ipsi PORPHYRIUS, CELSVS, HIEROCLES miracula a christianis perpetrata negatum eant; et multo minus THEMISTIO atque CLAVDIANO ea asseri temeritas, vt THEODOSIO et HONORIO, christianis imperatoribus, destinato consilio falsa imponere voluerint (b); et ipsi denique christiani scriptores homines esse non deserint, neque se fallere fallique nescios gesserint, sed quam sapissime aliquid humani passi fuerint. *Quarta* ratio speciosior est quam solida. Prior eius pars neque in vniuersum probari potest, neque, si verissima foret, id effice-

(b) Vberissime confirmat hanc responsionem MOYLIUS (prooem. c) p. DCCLXXVIII &c. et DCCLXXXVIII &c.

efficeret cuius causâ profertur. Quae XIPHILINVS perhibet (§. VII) nihil paene demonstrant, nisi forte ad ipsius M. AVRELII verba respiciant, qui haec de se scribit: *παρὰ Διογήτου, τὸ ἀκένωσπονδον, καὶ τὸ ἀπισητιῶν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων, καὶ γρήτων περὶ ἐπωδῶν, καὶ περὶ δαιμόνων ἀποκομπῆς καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις. καὶ τὸ μὴ ὀργυγοτροφεῖν, μηδὲ περὶ τὰ τοιαῦτα ἐπτοῆσαι &c. (c).* Verum etiam si haec ad christianos non referantur, quos tamen AVRELIVS saltem vna cum aliis prodigiorum iactatoribus subinnuisse nonnullis interpretibus visus est (d), sed de folis artibus magicis intelligantur, non omnem in vniuersum incantationum vsum, sed supersticiosos circulatores, fraudumque religiosorum venditores circumforaneos abhorruisse commonstrant, nisi AVRELIVM alia omnia verbis professum fuisse, quam factis testata fecisse statuamus. Constat enim illum non solum *stoicae* disciplinae, diuinationum perquam studiosae, addictissimum fuisse; verum etiam incantationibus artibusque telesticis multum tribuisse (e). Praeterea autem

- (c) *τῶν εἰς ἑαυτὸν li. I. §. VI* quae latine ita se habent, a DIOGNETO accepti, ne rebus inanibus studium impenderem: neue eis fidem adhiberem, quae a praestigiatoribus magisque de incantationibus deque daemonibus auerruncundis, aliisque eiusmodi imposturis dicuntur; ne coturnices ad pugnam alerem, neue rebus istiusmodi animum adicerem &c. qui liber cum circa haec ipsa tempore apud Quados ad Granuam §. XVII conscriptus fuit, haec verba omnino demonstrare videntur AVRELIVM parum dedisse magicis artibus.
- (d) *Δαιμόνων ἀποκομπῆν* imprimis ad exorcismos christianorum referunt nonnulli, conf. *observat.* THOM. GATAKERI ad ANTONINVM edit. *Traiect.* an. MD IC CLXXX. VII pag. IIII &c. et MERICI CASABONI *ibid.* pag. CCCLXXXV &c. MOYLIUS (b) pag. DCCLXXXVIII verisimillime ex his verbis conicit AVRELIVM aequè difficilem fuisse in credendis christianorum miraculis, quam magorum praestigiis.
- (e) Praeter SVIDAM (§. VIII) id comprobant LAMPRIIVS (§. XII) CAPITOLINVS (§. XII) p. CCXVIII tantus autem timor belli marcomanici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere lastrauerit; retardatusque

autem iniussu imperatoris haec peragi potuerunt in exercitu, sine peculiari saltem mandato, ex edicto in vniuersum pronuntiato confugiendi in hoc periculo ad rem diuinam. Neque quisquam horum scriptorum magicis artibus rem ab imperatore aut publice attributam esse narrat, sed priuatorum quorundam hanc fuisse opinionem omnes perhibent. Posterior vero rationis prolatae pars ea tantum demonstrat quae fieri, credi, statuique iure debuissent, non quae actu credita et statuta fuerunt. Neque illa omnia, quae per doctrinam nostram diuinitus reuelatam absone pronuntiamus vere, ita visa sunt aliis hac luce destitutis. Neque si vel falsissima sit haec sententia, quod nemo apud nos ambiget, vera necessario est christianorum scriptorum relatio: datur enim tertium; et plures omnino opiniones falsae esse possunt, si stricte sibi non contradicunt, sed tantummodo differunt et contrariae sunt. *Quinta vero* et postrema ratio ne speciem quidem veri habet. Neque enim *IVDAEI* a *romanis graecisque* scriptoribus *CHALDAEI* vocati sunt; neque illis temporibus christiani cum iudaeis chaldaeisue confusi facile fuerunt, licet sub primis rei christianae auspiciis, antequam penitus innotescerent, eius confusionis exempla proferant; neque demum, quae *DIO* (§. X) *LAMPRIDIUS* (§. XII) et *CLAUDIANVS* (§. XIII) de magicis artibus commemorant, cum verifimilitudine ad christianos trahi possunt (f).

§. XXXX.

Proximum, quod nobis imperauimus (§. XXVII), ne defectus fundamenti in commemoracione eorum consistit, quae ab aduersariis *Tertulliano.*
 H mira-

que bellica profectio, sic celebravit et romano rita Icelisternia per septem dies, et p. CCXXI. quod cum ad Chaldaeos Marcus retulisset &c. &c. Plura concessit documenta MOYLIUS (b) p. DCCLXXX &c. et DCCCII &c. &c. atque simul ad mentionem diuinorum in AVRELI scriptis lib. III §. XXX sine vltima infamiae aut odii nota obuiam prouocat.

(f) Quod contra *BARONIVM* (§. XV. k), *HVETIVM* (§. XX. v) et *KINGIVM* ita demonstravit *MOYLIUS*, vt huic postremo peruaferit (prooem. c) p. DCCLXXXII &c.

miraculi proferuntur, ut efficiant destitui fundamento sufficiente testimonia ad vnum omnia, quae beneficium hoc christianorum precibus tribuunt. Vbi principum testium ratio habenda erit, quorum sola auctoritate nituntur reliqui gregarii omnes (§. XXXIII). Atque hi duo tantum sunt vnus TERTVLLIANVS, alter APOLLINARIS (§. XXXIII). Prior et tempore et loco longius abfuit ab ipsa re gesta, quam ut oculatus illius testis vocari, aut eam ab oculatis testibus habuisse credi facile possit, quare cum reliquis tantum comparatus ad immediatos testes refertur. Neque ipse ad hanc oculatorum testium auctoritatem prouocat, sed ad solas AVRELI litteras (§. II), qua re ipse suspensionem facit famam illius rei suo tempore vel parum vniuersam, vel minus constantem fuisse, vel omnino defuisse. Has autem litteras a se visas aut lectas non fuisse satis euidenter prodit his verbis: *si litterae M. Aurelii requirantur, adiectaque subdubitationis significatione, quibus illam germanicam sitim christianorum forte militum preceationibus discussam contestatur.* Quae particula, hoc certe loco omnium maxime incommode, otiose abundaret, quod aduersae parti visum est (g). Neque illorum scriptorum, qui post TERTVLLIANVM hanc epistolam excitant, quisquam illam vidisse affirmat (h), licet TERTVLLIANI fide confidenter admodum eam

(g) Ad idiotismos stili *africani* a nonnullis refertur ille pleonasmus huius particulae, quae ipsis saepius abundare videtur apud TERTVLLIANVM, quod tamen exemplis narrationum pro certis habitatum vix, ac ne vix quidem, probari poterit. Maior huic pleonasmio species conciliaretur EVSEBII versione TERTVLLIANI verba recitantis sine huius vocis commemoratione, nisi constaret ex ipso hoc loco, illum verba auctoris, quem transfert, non admodum sectari. Ipsa praeterea haec vox forte inquit EVSEBIVM ad expressam incertitudinis huius narrationis mentionem (§. XXXIII. y).

(h) HIERONYMI verba (§. III) illud omnino non efficiunt, existisse suo tempore has litteras, multo minus autem illas a se visas esse: quum phrasia illa ex liberiore versione verborum EVSEBII; vel historicorum consuetudine res olim gestas, quae diu perennare desierunt in praesenti narranti deriuari possit. ORO-

eam allegent (§. III. VI. VII). DIONIS vero auctoritas (§. XI) hoc litterarum testimonium nihil plane iuuat, sed contrarium potius demonstrat. Litteras enim ab AVRELIO ad senatum datas fuisse de victoria reportata, et ipsa consuetudo romanorum fati efficeret, si vel omnes scriptores de eo silerent, et DIO aperte perhiber. Nunquam tamen grauisimus hic scriptor, cui vt senatori incognitum esse non poruit illarum argumentum, ausurus fuisset de causa miraculi ambigere, si hae litterae beneficium victoriae christianorum precibus vindicassent, aut contraria perhibere. Habuit igitur forte TERTVLLIANVS et ipsam victoriae miraculose narrationem et litterarum AVRELIJ mentionem ex DIONE (i), vel a columna *antoniniana* (§. XV) fide litterarum *auvelianarum* huius victoriae imaginem exhibente (k), vtrumque desumit: cetera

H 2.

certe

sius (§. VI) ad hanc epistolam, vt indubium rei narratae testimonium prouocat quidem, ita tamen vt ne vel leuissimum indicium eius a se lectae adiciat, sed contrarium profiteatur. XIPHILINVS autem (§. VII) aperte ad aliorum fidem epistolae commemorationem refert, vbi λέγεται δὲ, ait, καὶ ἐπιστολὴν τῶν περὶ τούτων εἶναι τοῦ Μάρκου.

- (i) Nisi temporum, quibus DIO historiam conscripsit, rationes obfessent, multum tribuerem huic coniecturae. Verum licet DIO peculiare historiae suae partes seorsim edidisse videatur, quod de COMMODO vita indubium est, atque adeo et M. AVRELIJ res gestas ante telam totius operis post ann. chr. CCXXVIII per textam demum publicasse existimari possit: sub SEVERO tamen scribendi initium fecit, COMMODO etiam historiam primam composuit; vnde fieri vix potuit vt vita M. AVRELIJ ab ipso conscripta ante annum scripti apologetici CLXXXVIII (§. II. f) iam prodierit, atque TERTVLLIANVS quidquam inde depromerit. conf. TILLEMONTII *hist. des empereurs tom. III, p. CCXIII* &c. Quibus inducor, vt vtrumque ex communi fonte sua haussisse credam.

- (k) Admodum probabile est columnam *antoninianam* non ab ipso M. AVRELIO, neque ipso viuo, erectam esse, sed senatum sub COMMODO demum aut serius adhuc publicum hoc monumentum vtrique ANTONINO et PIO et MARCO consecrasse. AELIUS

LVI DE MIRACULO LEGIONIS FVLMINATRICIS.

certe diuinando, et ex doctrina sua de miraculorum auctore vno DEO, coniciendo deriuauit, epistolam saltem nec legisse nec vidisse satis luculenter ipse fatetur. Quae praeterea neque ita latere neque profus euanescere potuisset, vt a nemina christianorum haberetur et conseruaretur, aut fictione impostoris (§. XXVIII) opus fuisset ad eius defectum iacturamque compensandam. Ipsum vero argumentum litterarum, quale a TERTVLLIANO commemoratur, indubiis rerum gestarum documentis repugnare postea considerabitur, si expeditis testibus ad rei ipsius examen progressi fuerimus (§. XXIII).

RELIVS enim neque diu satis superstes fuit post hanc victoriam a Quadis reportatam, quas in columna exhibetur, neque ROMAM rediit postea: vnde verosimillime coniecerunt et ALEX. DONATVS in *Roma vet. et rec. lib. III. c. XVI* et PAVL. PEDRVS *cesari in metallo grande tom. VII. tab. VIII pag. LXXV &c.* AVRELIO iam vita defuncto hanc columnam fuisse dedicatam. Ex quibus vterius facile conici potest, res ab imperatore absente gestas fide litterarum publice ab ipso datarum, exhibitas publiceque ad fidem et auctoritatem harum litterarum AVRELII prouocatum fuisse, eaque occasione ita percrebuisse litterarum M. AVRELII ad senatum de victoria diuinitus concessa notitiam vt TERTVLLIANVS illas secure allegari posse existimauerit.

RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES.

Quaerenti mihi, quid ad TE, carissime OPPERMAN, potissimum scriberem praeter bona verba, vt consuetudini amorique satisfacere, illa cogitatio in mentem venit, bonine an mali plus attulerit ciuitati christianae, illisque, qui sacris operantur, eruditionis copia, vastumque litterarum, illarum maxime, quas profanas vocant, studium. Videbor enim sine dubio nonnullis hoc labore, quem

quem defendis, scribendique genere, ad illorum partes, qui litteris patrocinantur, nimium accedere, illamque causam periculosam reique sacrae noxiam suscipere: ut omnino aliqua defensione opus esse arbitrer. Subducam igitur vtriusque opinionis rationes potiores, meamque sententiam aperte dicam, sed breuiter, ut epistolae conuenit, et ita ut in rem TVAM, TVIque similibus, qui litteris cupiunt, cedere possit. Non destituntur, fateor, speciosis argumentis, qui litteris diem dicunt, neque sollicitatem bonam plerorumque mentem, qui de eruditione, si non arcenda ex ciuitate CHRISTI, angustius tamen circumscribenda laborant. Ego sane, cum rei sacrae detrimenta considero, veteresque et recentiores populi CHRISTI calamitates animo colligo, atque non minimam per litteratissimos homines inuectam video partem incommodorum, quibus ille affligitur; aureum vero saeculum prisco simplicitatis ad ciuitatis sacrae fundamenta iacienda limitesque prouehendos adeo proficuae ex puriore vetustate repeto; cum praeterea lustro pericula, quibus obiciuntur, qui vitam in his litteris atque ipsam animam consumunt, ac plerique vani, iactabundi, rixosi, ostentatores et irreligiosi euadunt, cum irreparabili rei, quae unice necessaria fuerat, ipsiusque salutis iactura; atque tandem artem longam et vitam breuem contendo et mecum reputo, quam breui curtaque doctrina opus sit ad bene et beate viuendum moriendumque, ac rem diuinam feliciter curandam, quam facile et expeditum iter ad aeternitatem pateat, quam praestet quantique cuiusuis referat totum esse in rebus diuinis DEVM CHRISTVMque meditari solum, cogitationibus et desideriis proficui viuendoque referre: parum profecto absim, quin et ipse his litteris munus mittam, et omnibus, qui se mihi tradunt ciuitatis sacrae commodis formandos, auctor suasorque existam eiurandi eruditionem praetereundique secure has difficultates et discrimina. Verum si ex altera parte, ut par est, et commoda animo obuersantur, quae litteratis hominibus ipsisque litteris debentur in re sacra bene agenda feliciter prouehenda fortiterque vindicanda, et incommoda barbariei deplorandaque facies populi christiani per infelicissima saecula tenebrarum, quae in litterarum orbitate transigenda fuerunt; si temeritatem intueor eorum, qui posthabitis subsidiis ab ipso DEO humano generi concessis, miracula desiderant, prodigia affectant hominumque diuinitus actorum, quibus ad conuocandam CHRISTI ciuitatem opus omnino fuit, personam induunt, dum recarent; si cogito quam bene coeant seuerior virtus, pietatis in DEVM ardor et ipsa genuina simplicitas, quae a stupiditate et vecordia differt cum enixissimo litterarum studio, quantumque proficit haec conspiratio ad rem sacram priuatam et publicam feliciter agenda, quam honorificum DEO, nobisque et aliis proficuum sit, ut eruditionis quidquid est, CHRISTO vindicetur, litterae DEI causa tra-

dentur,

dicuntur, ipsiusque gloriae vere consecrentur; si ad pericula ignorantiae desidiae, et ignaviae respicio, feritatem, pertinaciam, credulitatem, superstitionem, inhumanitatem, animi impotentiam, officiorum neglectam omnemque familiarum vitiorum, quae litterarum contentus parit; si arctissimum vinculum animaduerto, quo litterae in vniuersum omnes, atque adeo et diuinae cum humanis cohaerent; si denique perpendo quam male consulatur mortalibus, rei sacrae honorique diuino, interdico harum litterarum vsu ciues CHRISTI, vt praesidia et ornamenta ingenii humani in hostium, hominum saltem negligentius in CHRISTVM animatorum possessionem transeant, atque his armis ciuitas sacra oppugnetur tantum nunquam pro ea pugnetur: non solum retrahor a praecipitando iudicio, verum etiam in hanc sententiam ducor vt existimem, ardentissimum religionis studium sine ingenii cultura litterisque ad rem sacram publice agendam parum prodesse, eruditionem vero sine sapientia, cuius initium timor Domini est, saepe nimium obesse, prodesse nunquam, doctoremque sacrum, si CHRISTO vult, eo publicis commodis fructuosior esse quo instructior est a litterarum praesidiis si irreligiosus est eo fore perniciosorem, quo fuerit litterarum peritior. Atque hanc ob rem, quantum consiliis, precibus, monitis, institutione, exemplo effici potest, excitatoria ingenia ciuitatis sacrae vsibus dicata urgeo, vt omnium principem curam animae gerant, DEO se vindicent, gratiae ipsius per CHRISTVM sibi conciliatae certiores facti in eius familiaritatem se insinuent, atque sic vere sapiant; deinde vt litteras studiosissime tractent, ordine quidem, necessaria vtilibus et haec iucundis praeserendo, atque pro virium et opportunitatum ratione, nihil tamen ex omni eruditionis ambitu, quod vsui esse possit, plano negligant, bonas litteras, seueriores et mansuetiores humanitatem et elegantiam prosequantur, neque vereantur ne nimium proficiant; tandem vero vt in academiis fundamenta eruditionis poni meminerint, discique litterarum bene et feliciter tractandarum rationes, ipsa studia autem per omnem vitam esse continuanda. Longius me abripi sentio, carissime OPPERMAN, neque facile finem inuenirem, si singula haec exsequi vellem; quare ad TE redeo, et tribus verbis officium expediam. Gratulor TIBI cursum academicum ex voto confectum, ingenium excellens et politum, ardorem discendi progressusque factos, ipsumque consuetum, quo hanc dissertationem tuaberis. DEVM O. M. deprecor, vt quam de TE concepi spem abunde impleas, disciplinae seuerioris, cui operam dedisti, salutare et vberissimum fructus et ipse capias et rei sacrae referas. De me recipio, ita me fore TVI amantissimum, vt desidero, spero rogoque a TE amari absentisque rationem haberi, conferuarique memoriam. Dedi Halae propter Salam in acad. Frideric. d. XXII Oct. MDCCXXX.

00 A 6398

ULB Halle

002 916 606

3



Sb.







10

EXAMEN
MIRACVLI LEGIONIS FVLMI-
NATRICIS

CONTRA
THOMAM WOOLSTONVM

DISSERTATIO II.

QVAM
PRAESIDE
SIGISM. IACOBO BAUMGARTEN

THEOL. D. ET PROFESS. ORDIN.

D. XXIII OCTOBR. MDCCXXX.

H. L. Q. C.

DEFENDET

IOAN. FRIEDER. OPPERMAN

SVANEBECCA HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
SVMTIBVS IO. ANDR. BAVERI, MDCCXXX.

